

sumptio inanis caeremonia est, sed propter contemptum ordinationis Christi [75:] grauissimas sibiipsis attrahunt poenas.

III. Color de ἀνθρωποφαγία sicut recens ita etiam parum firmus est, εἰκότα non demonstrant in nostra logica. Veteres professi sunt se sumere verum corpus et sanguinem Christi in intellectu Paulino: Panem esse verum vel essentielle corpus Christi nunquam ab iis dictum est. Neque debebant neque poterant imperatori respondere hoc conuiuium tantum esse signum vel repraesentationem Christi absentis aut notam professionis. Sed necesse fuit de verbo fructu dicere, quem tamen spirituales et mysticum esse docent. Sciant vero isti pictores neque nobis omnino ignotam esse antiquitatem. Simplex et maxime perspicua historia communionis a Iustino, cuius aetate ista acciderunt 2. lib. Apolog. describitur: Ait post interpretationem concionis apostolicae vel propheticae et post dictas preces publicas propositum panem et vinum aqua dilutum, eum deinde, qui praeest ecclesiae, recitasse preces et gratiarum actionem, quibus peractis diaconos vniuerso populo ea distribuisset et ad absentes etiam detulisset. Hic nulla fit mentio de praesentia veri et substantialis corporis cum pane.<sup>218</sup>

V. Ex perpetua consuetudine sermonis diuini in ritibus, symbolis tribuitur nomen rei significatae. Sicut igitur haud dubie Christus imitatus est phrases veteris legis vt has: „Agnus est pascha“,<sup>219</sup> „Sanguis victimae est foedus“<sup>220</sup> et similes, ita recte vetustas eundem morem retinuit. Causae autem harum locutionum duae sunt: 1. vt extet illustris distinctio inter hunc sacrum pastum et cibum profanum vel physicum, 2. vt certo statuamus credenti in vsu exhiberi ea beneficia, quae significant symbola, et ita perspicue refutentur enthusiastsae, qui sacramenta omni spoliunt efficacia. Frequentes vero veteres fuerunt in vsurpandis talibus phrasibus, vt in hominibus acueretur reuerentia. Sed deinde aetas posterior et vniuersam religionem in externos gestus et has locutiones ad stabiliendam idololatriam contra mentem veterum conuertit. [76:] Corruptelas has supra refutaui. Cum ipsimet veteres propositionem Christi sacramentaliter interpretati sint, cum etiam extra vsum panem nominent corpus Christi et planissime articulum de veritate naturae humanae tradiderint et munierint, non possunt hae formae loquendi aliter accipi. Nunc igitur etiam istae formae pie et recte vsurpari possunt: Panis est corpus Christi, vinum est sanguis Christi in vsu, sed cum necessaria et vera declaratione, qua nulla melior est Paulina, vt toties dictum est. Accurate vero populus erudiendus est vnionem sacramentalem non esse duarum substantiarum realem vel substantialem copulationem, sed tantum relationem vel ordinatio-

<sup>218</sup> Justin, Apologia 65, 3–5, in: PG 6, 428 (PTS 38, 126,8–17). Die Zählung „lib. 2.“ richtet sich nach der zeitgenössischen Ausgabe ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΙΟΥΣΤΙΝΟΥ ΦΙΛΟΣΟΦΟΥ ΚΑΙ ΜΑΡΤΥΡΟΣ ΑΠΟΛΟΓΙΑ [...] EX BIBLIOTHECA REGIA, Paris 1551, in der die „Apologie“ in zwei Teile zerfiel.

<sup>219</sup> Vgl. Lev 14,13.

<sup>220</sup> Vgl. Lev 3,1–17.